

ferro iter aperiendum est. Lucretia aliquo modo excusatur; quia coacta est ad stuprum. Quod dixit, pro indicto habendum est; quia calore iracundiæ impulsus dixit. Cavendum autem hîc etiam atque etiam, ne imitati Epicureos providentiam Dei statuamus causam cogentem, ut ita pallium quæramus sceleribus. Verum est, fiunt omnia necessariò, ex hypothesi decreti divini. Sed hinc non efficitur, nos cogi à Deo. Hîc enim non intelligitur necessitas coactionis, sed necessitas infallibilitatis seu immutabilitatis, quæ non tollit contingentiam vel libertatem voluntatis.

7 *Culpam deprecamur à causâ efficiente per imprudentiã, ignorantiam & casum fortuitum, uti loquuntur: ut, Ignosce pater; quia feci temerè.*

8 *Si medium sit causa efficiens proxima prædicati, valet syllogismus ad affirmandum & negandum: ut, Luna est rotunda. E. illuminari potest per incrementa. Planetæ propè sunt. E. non scintillant.*

III. Usus amplificationis.

Declaratio vel probatio à causâ efficiente quatuor modis amplificatur, uti supra de fine diximus:

I. *Est Antithesis; ut, Unde sacrum illud sacrorum Bibliorum volumen suam traxit originem? Num ex officinâ cerebri humani proculsum? Minimè gentium. Num Prophetarũ & Apostolorum arbitrio conscriptũ? Ne hoc quidem. Spiritus sanctus inspiravit divina ista eloquia viris ad hoc à Deo sanctificatis, qui fuerunt amanuêses. Item: Deus Opt. Max. Deus, inquam, creavit mundũ. Non illi præstò fuerunt Angeli. Hos ipsos enim condidit. Non ille usus est ferramentis, non vectibus, ut Epicurus somniavit. Nihil illi subsidii ex materiâ aliquâ amplâ & speciosâ. Non fatigatus fuit operando. Solo nutu, solo verbo F I A T hanc stupendã machinam creavit. Hanc destruet solo verbo P E R E A T, quando ipsi visum fuerit. Talis antithesis causarum efficientium est in illo carmine Sannazarii, cujus singulos versus centenis aureis muneravit senatus Venetus:*

Viderat Adriacis Venetam Neptunus in undis
Stare urbem, & toto ponere jura mari.